



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

Ioannes Rigbey. n. 37.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

1635.

sit; venire quidem aliquando notos quoddam ad vxorem viros, non tamen existimare le tales eos esse quales dicuntur esse. Aderat Pædagogus cum hæc diceret, & exclamat, probè nosse herum qui illi sint, cum eis omnem honorem exhibeat, & præ alijs in mensa, & extra mensam locet venerationis causâ loco honestiore. Iudex accusationem conferibi confessim mandat de Marmeduca Sacerdotum receptore, Ille in genua prouolutus orat, obsecrat, flagitat, lachrymatur, testes appellat circumstantes omnes qui cum quot Hebdomadis ritus communes frequentantem haud dubiè viderant. Nihil proficit; amandatur in vincula. Ingredieus carcerem, conspecta Catholicæ sibi notâ quæ ibi detinebatur, Heu, inquit, domina, En ego tua Religionis causâ ducor, cum Religionem illam haud hactenus sim amplexus! Intellexit sapiens mulier quid facto opus esset; procurauit illi congressum Sacerdotis; Ecclesiæ conciliatus & postridie plexus, sidera opinato citius, & illustri cum corona transcendent.

Ioannes  
Rigbey.

XXXVII. Celebris est actio Richardi Martini Iudicis quam Ioanni Rigbeyo intendit. Hic bono loco natus in famulatum se dederat viduæ Catholicæ; Hæc citata ut in Comitio de Religione responsura compareret, mittit Ioannem ut le ægritudinis causâ excusat, præstito de rei veritate iusteirando. Cui Iudex, quis tu es qui audes pro Papista iurare? & Ioánes, " sum utique homo, & conditione famulus ) At præterea quid, reponit Iudex; Papista, an ex Protestantibus aut Puritanis quispiam, cuius ut deum Religionis? Vis templo nostra frequentare? " Nequam, ) Ita sane existimabam; Papista es, & quiduis poteris iurare, habes enim Sacerdotem semper ad manum quite absoluat. " Ego vero (ait Ioannes) non soleo iurare; neque habeo Sacerdotem qui me absoluat.) Tum rursus rogatus de Templis & communione. " Aliquot sunt, inquit, anni ex quo ritibus vestris non interfui, neque volo illis interessere, ad Cenam vestram nunquam accessi, neque accedam inquam, scio enim non esse Sacramentum; sum Catholicus? Credo quod vniuersalis credit Ecclesia ) Fuisse semper Catholicus?" Non semper, inter Catholicos tamen educatus; cumq; ad ætatem peruenisse aliquanto maiorem intellexi illam in quam deviarum viam non esse eam quâ ad salutem perueniretur. ) Vis iurare Reginam esse Caput Ecclesie? Tum Ioannes, scio quò tendat hæc quæstio; multis sunt quos illa perplexos reddidit; Ego certè non iurabo. ) Nos omnes iurauimus, si tu reculas, proditionis es reus, & læsa Majestatis. " Ego vero, inquit, fidelis sum subditus, non proditor: quod vos fecistis, aut alij, ad me non attinet; non iurabo. )

Quid si Papa inuaderet Angliam, ut Religionem vestram inuheret; cuius partes lequereris? Papæ, an Reginæ? " Ad hæc Ioannes, Vitæ, ut video, mæ insidiamenti; non est mihi tutum plura respondere. ) Digressi deinde ad alia, interrogant an eslet Sacerdos, an ordines suscepisti, an transfictas; quanquam ad singula responderet negando, (neq; enim se dignum existima-

existimabat tanto honore) aliud vero nihil in se suscepisse nisi ut viueret morereturque Catholice, vt experirentur an capilli in vertice esent ceteris du- riores, vt solent esse Sacerdotibus qui tæpè raduntur, vocato tonfore locatum in vicino lapide curant sonderi. Sub eo lapide calefiebant ferramenta quorum vlus est ad stigmata latronibus inurenda; diuturna sessione cæpere ardere vestes, qua de te cum quereretur, & pararet surgere; Nequaquam, inquiunt, paratur enim tibi seſlio altera calidior." Si ita est (reponit Ioánes) sedebo equidem libenter hac tanta de causâ, & subjcite si vultis nouum ignem.) Iterum cum rogassent an vellet eorum ritibus interesse? " Nequaquam, inquit, neque enim ista me terrent.) Itaque onustum ferro amandat ad Nouam portam, postridie de capite dicturum. Productum interrogat Iudeus quamdiu fuisset Catholicus? " Tribus, inquit, fere annis.) sequitur igitur te fuisse reconciliatum ab aliquo sacerdote; fateris ne? " Fator equidem ita esse; adiui enim quendam in custodia detentum; ille autem iam non est in viuis.) Præpara itaque te (ait Iudeus) ut de capite confessim respondeas: traditumque Commentariensi iubet catenis onerari. At ille, " Nullum hoc verbo iucundius mihi ad aures à multo tempore accidit; & hanc quam imponitis, aurea Prætoris catenâ non commutauero.) deditque imponenti mercedem, sicut & antea tonsori.

A meridie, ad eum in conclave vocatum Iudeus blandè alloquitur in hanc sententiam: Imperite nuper, & ut legum incius respondisti; intelligo alterius te nunc esse mentis, & cupere fidem te præstare subditum Reginæ; illa in misericordiam prona est; si legibus obsequens fueris acerbitatem legum ipsa moderabitur; vis ritibus nostris interesse, adire templum? Quid ad hæc Rigbeyus? " Quicunq; Dominationi vestrae retulit me in minimo à mea professione deflexisse, hunc inter amicos non numero:ncq; à me tale vulum verbū excidit; fidelis sum Reginæ subditus, eiusq; obsequens legibus ijs quæ religioni non aduersatur. Nunquā significavi me tépla vestra aditum, neq; adibo vñquā; & potius quam illud supliceris, utere obsecro primis meis responsionibus quibus mea manu subscripti; Ibi manū, hic habetis corpus; quod scripsi, paratus sum sanguine signare. Nolim profecto aulam vobis ullā dare ad exilimandum quod ab animo meo primo recesserim; Quod sciām nihil à me aut dictum factumue est quo quisquā merito offendatur. Si Religio tantum est malum, currat lex in nomine Domini; & eius fiat voluntas.

XXXVIII. Ductus deinde ad iubellia iussuq; pro more, manus attollere, invocato Seruatore Iesu, B. Maria Virgine, & omnium Angelorum & Sanctorum patrocinio, sustulit alacris, & ad quatuor accusationis capita breuiter constanter quidem respondit in hunc sensum. " Quod objiciunt me fuisse reconciliatum, fateor quidem Deo; neque video quid in eo posse esse offensionis.

Quod ea reconciliatio quoquo modo spectarit ad animum ab obedi- entiâ Reginæ debitâ abalienandum, aut à legum ciuilium omnibusque communium imperio auertendum, proflus nego.

R 112

Quod